

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.**

**Phaedrus**

**Rintelii, MDCCXXXVIII**

**VD18 13044567**

Fab. VIII. Vulpes et Hircus.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17134**

## FAB. VII.

*Vipera et Lima.*

Mordaciorem qui improbo dente appetit,  
Hoc argumento se describi sentiat.

In officinam fabri venit vipera.

Haec quum tentaret, si qua res esset cibi,  
Limam momordit. Illa contra contumax, 5  
Quid me, inquit, stulta dente captas laedere,  
Omne assueui ferrum quae corrodere ?

*Lacerantur qui lacerant iniquo conatu.*

Impudentem orisque ferrei hominem si quis  
rodere velit: semet fabula sequenti descriptum  
sentiet. Vipera in fabri officinam venerat:  
vbi cum exploraret, num quid adesset cibi:  
limam momordit. Haec vero intrepida no-  
visque fortiter resistens insultibus, quod morsu  
iterato labia et linguam laeserit, infelix, inquit,  
me frustra laesum stulto aggrederis conatu,  
quae admota ferrum ac durissima quaeque  
corrodere soleo.

## FAB. VIII.

*Vulpes et Hircus.*

Homo simul ac venit in magnum periculum,  
Effugium reperire alterius quaerit malo.

Quum decidisset vulpes in puteum inscia,  
Et altiore clauderetur margine:  
Deuenit hircus sitiens in eundem locum, 5  
Simul rogauit, esset an dulcis liquor,  
Et copiosus? Illa fraudem moliens;  
Descende, amice, tanta bonitas est aquae,  
Voluptas ut satiari non possit mea.

Im-

Immisit se barbatus. Tum vulpecula  
Euasit puteo, nixa celsis cornibus,  
Hircumque clauso liquit haerentem vado.

10

*Suo semet periculo eximere quisque studet.*

Si quis in magno versatur periculo, quod semper dat veniam culpae : quo quis modo , si vel maxime alterius malo , elabi studet. Cum vulpes imprudens in puteum decidisset , haerensque in imo arctius conclusa crebris saltibus extremitatem non posset attingere supremam: siti compulsus ad locum eundem venit hircus, eamque calamitate sua detentam rogauit, num aqua esset dulcis atque sufficiens ad restinguendam sitim. Vulpes, ad liberandum sese, omni studio et conatu de fraude cogitans, euge , inquit, delicias si velis praegustare veras , descendere quaeso : tanta enim fontis est suauitas, ut mea vix inde possit satiari voluptas. Cupidus ergo in puteum se contulit hircus. Vulpes autem eius dorso celsisque cornubus insistens repente suo euasit carcere, ac miserum in fundo haerentem reliquit.

F A B. IX.

*De vitiis hominum.*

Peras imposuit Iupiter nobis duas:  
Propriis repletam vitiis , post tergum dedit,  
Alienis ante pectus suspendit grauem.

Hac re videre nostra mala non possumus:  
Alii simul delinquunt , censores sumus.

*Indulget nimium quisque sibi.*

Duplicem Iupiter humeris mortalium impo-  
suit